



Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 32. Quandonam fugitivi censeantur apostatæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42600

extra Europam, unde nunc elapsum est illud tempus
gratiae.

203 §. V. An ejectus vel fugitivus teneatur ad horas
Canonicas, dicetur n. 1191. Cui autem acquiratur
& quomodo de acquisitis disponere possit Religio-
sus inclusus, fugitivus, ejectus, factus Episcopis vel
beneficiarius, videri potest apud *Castrop.* d. 3. p. 19.,
qui d. 4. p. 24. & 25. examinat, an Religiosus factus
Episcopus vel Parochus adhuc teneatur votis aut
præceptis Religionis; & speciatim de Religioso So-
cietatis J E S U facto Episcopo, discurrit d. 5. p. 8.

204 §. VI. Circa causas ejiciendi aliquem è Religio-
ne, aut dimittendi à Societate J E S U, disputa-
tus *Castrop.* d. 4. p. 19. & 20. Quas autem poenas in-
currant cooperantes vel juvantes ad fugam, expli-
cat p. 18.

205 Q. 32. *Quandonam fugitivi censeantur apo-*
statæ. R.

§. I. Aliqui cum *Suar.* de Relig. T. 4. l. 3. c. 1. pli-
tant illum esse apostatam, qui metu carceris, depo-
sito aut etiam retento habitu fugit, etiam cum ani-
mo redeundi, postquam erit, v. g. alias Superior, si
emaneat per longum tempus: sed communis sen-
tentia est cum *Sanch* in Decal. l. 6. c. 8. *Castrop.*
t. 16. d. 4. p. 16 n. 4. *Lugo* in Resp. Mor. l. 4. dub 37. ut
quis censeatur apostata, requiri dimissionem
habitûs & desertionem Religionis cum animo non
redeundi, unde qui habet animum redeundi est tan-
tum fugitivus, cui fugæ annexa non est jure com-
muni poena, attamen per depositionem habitûs in-
currit excommunicatio lata à *Paulo* & *Pio IV.*,
ut̄ habet *Sanch*, n. 11. De poenis in apostatas lati-
videri potest *Castrop.* à n. 8.

206 §. II. Si fugias à tua Religione in aliam, *Silv.*
Caj. *Arrag.* *Bann.* *Valent.* *Az.* *Rodrig.* *Less.* aliis
que

que communiter cum Sanch. n. 8. dicunt te non esse apostamat, quia non habes animum deficiendi à Religione in communi, sed tantum commutandi hanc cum tua: *Castrop.* n. 7. licet hanc sententiam vocet probabilissimam, tamen dicit oppositam esse veriorem, quia sic recedens à tua Religione es fugitus, ergo cùm ab ea recedas cum animo nunquam redeundi ad illam, es apostata à tua Religione, ergo simpliciter apostata. Adde, quod Pontifices dicant transeuntes à Societate J E S U ad alium Ordinem sine licentia, posse puniri tanquam *alios* apostatas, per quod satis innuunt sic transeuntes ad alium Ordinem, etiam hoc ipso esse apostatas.

Q. 33. Quid notandum sit circa Religiosum , 207 qui dimittit vestem seu habitum sui Ordinis. R. seqq.

§. I. Si habitum temerè dimittat, ut sic celet statum & liberiūs vagetur, peccat mortaliter & incurrit excommunicationem, secundum dicta n. 205. Putat tamen Sanch. in Decal. l. 6. c. 8. n. 7. Religiosos Societatis J E S U non ideo peccare aut excommunicari, quia non habent certum habitum: sed contradicit *Castrop.* t. 16. d. 4. p. 6., quia proprius illorum habitus est, qui est Clericorum illius regionis.

§. II. Non temerè dimittis habitum, si ideo deponas, ut aptius personam repræsentes in ludo vel recreatione, ut velocior sis; ut nates &c., hæc enim non sunt voluntaria occultatio statūs, *Nav. Rodriq. Suar. Sanch. Castrop.* Et idem tenent, licet alii vestes ad hos effectus induantur: imò etiam si deponas ob finem turpem, v. g. ut voluptuosius forniceris, ut faciliūs fureris, *Nav. Suar. Sanch. & alii*: intellige tamen, inquit *Castrop.*, si prima intentio sit forniciari aut furari, nam incurreres excommunicationem, si prima intentio fuisset occultare tuum statum.

§. III. Licet communior & probabilior sit sen-

209

H 2

tentia